



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

III. Calvinus propria auctoritate Genevensis Ecclesiastae munus usurpat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

judicii metu ac minis adducere eum necesse fuerit Calvinus hic reditus incidit in xiiii. diem Septembris Anni millesimi quingentesimi quadragesimi primi: quem diem Geneveses tamquam primum Calviniani Pontificatus norant, quem Pontificatum ille rotis viginti tribus annis gessit,

II. Porro duo isti, Farellus & Calvinus, tertium quendam sibi adsciverunt, constituto velut triumviratu, quo omnia suo arbitratu circumagerent. Is erat Petrus Viretus Orbensis, Sabaudus natione, qui Monachus olim fuerat, Ordinis Carmelitarum, homo non tam disertus quam loquax: inde à Calvinino, qui neminem quam seipsum magni faciebat, *Maître de Caquet*, id est, loquacitatis magister appellatus, quem ego Lutetiae tum quum Calvinismus magno impetu in Gallia erupisset, concionantem audivi. Communitum sermone Calvinii scientia, vehementia Farelli, & eloquentia Vireti iactabatur. Et sane negari non potest, Viretū hunc omnibus artibus quibus ad decipiendos simplices animos opus est, fuisse instructum Triumviratus iste deinde à reformatis auctoribus electus tripus, ipsi vero *καὶ ἐξ ὧν* Evangelii Ministri dicti sunt. Hoc certe titulo à Beza insigniuntur: qui ad æquandū, credo, Evangelistarum numerum, quartus deinde adscriptus fuit. Viretus Laufannam primum; quod oppidum est Genevæ vicinum, deinde Nemausum & Montem pessulanum missus, ac tandē in Benauniā à Ioanna Navarrae regina evocatus fuit, ubi è vita decessit. Anno M.D. LXXI Calvinus Genevā reversus, ita omnia versavit, ut brevi nō Episcopatum modo, verum etiā dominatum sibi arrogaret, res omnes tam ad religionem quam civilem administrationem spectantes, suo arbitratu disponens. Farellus Novum castellum in Bernatum ditionem profectus, Ministerque factus, Calvinio faciliorē crescendi copiā dedit, ubi decrepita plane ætate, quippe septuagenarius, tum calculi & arthritidis doloribus, perpetuis fere senectū comitibus, vexatus ac tantum non fractus, juvenulam uxorem duxit, ancillā suā filiā, superioris ætatis vigorem frustra sepe inter frigidus amplexus exoptans, atque illud usurpans,

O mibi præteritos referat, si Juppiter annos!

III. Sic ergo Calvinus propria auctoritate Pastorem se ac Ministrū Genevensis Ecclesiae constituit, licet ei tū alius legitime ordinatus præflet, quam etiam postquā ad Christianam religionē adscripta est, Catholici Episcopi eadē fide & auctoritate tenuerunt. Neque enim hæretici aut scismatici umquam

infidelē aliquā nationē convertisse leguntur. Calvinus nihilominus sine ullo diplomate, sine missione, antiquū illū Episcopatū invasit, atque ita veteri Ecclesiae novā superstruxit, Sed nos cum Cypriano quaerimus, Quomodo ille pro Pastore agnosci potest, qui vivere legitimo Pastore, ordinariā habere successione, à seipso cœpit; ac nemini successit? Nō ignorabat Calvinus quid de ipso Lutherus senserit ac dixerit, inquiens, Etiam si homines isti qui sine ulla vocatione Ministerio se ingerunt, sanctissimi essent, ex eo tamen quod non vocati se ingerunt, manifestū esse, quod ad docendum à diabolo missi sint. Eum qui hoc hominum genus audiat, diabolū audire, qui per os ipsorum non minus quā per daemoniacos loquatur. Audi quæso, quomodo amplius eisdem exagiter Lutherus. Esto, inquit, nullam illi habent vocationem, ac Spiritum Sanctum habere se dicunt, talentum vero à Domino acceptū, non esse abscondendum. Sed mi frater, bonam ego tibi mentem exopto. Etiam si enim Salomone aut Daniele sis sapientior, si tamen vocationem nullā habeas, non minus quam ab ipso inferno tibi cavebis, ut vel unum verbum proloquaris. Quod si Dominus opera tua opus habeat, omnino ille te vocabit. Sed Calvinum ipsum idem dicentem audire operæ pretium est *Ne homines, inquit, inquieti ac turbulenti (quod alias futurū erat) temere se ad docendum vel regendum ingererent, nominatum cautum est, ne quis sine vocatione publicum in Ecclesia munus sibi sumat.* Ipse nihilominus non modo se ipse ingessit, verum etiam Episcopum, adeoque caput novæ Ecclesiae constituit. Quis enim Episcopus Calvinum ordinavit? quis consecravit? qui licet ab ipsa Catholica Ecclesia sacerdotalem characterem accepisset, tamen ab ipsa deficiens, eundem perdidisset. Hoc idem iudicium Calvinus de duobus Galliae Episcopis gregis sui desertoribus tulit: qui soli post Lutheranismum à Germania in Galliam propagatum, ex sacro illo & supremæ dignitati proximo ordine defecerunt, ac tamquam monstra omnibus abominarioni fuerunt. De Onelfo Trecentensi, & Spifamio Nivernensi quondam Episcopis loquor: qui postquam Genevam profugerunt, novam ibi ordinationem suscipere coacti sunt, quasi illa à Catholica facta Ecclesia nullius esset valoris. Sed à quibus, quæso, hominibus miseri illi ex Episcopis molitores facti, de novo ordinati sunt? Nimirum à pædrotibus quibusdam, litteratoribus, ac laicis, qui propria auctoritate in Calvinii Consistorio locum aliquem occuparant.

Idem